Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



a deo ut sim fidelis christianus ego hoc bonum esse propter in sanctam ecclesiam. qui bonum est homini hic esse. Alligatus es uxori noli quere solutionem. Solutus es ab uxore noli quere uxorem. Si autem accepis uxorem non peccasti. et si nupserit virgo non peccat tribulationem tamen carnis huiusmodi habebit Ego autem uobis parco hoc itaque dico fratres Tempus breue est reliquum est. ut qui habent uxores tanquam non habentes sint: et qui flent tanquam non flentes. et qui gaudent tanquam non gaudentes Et qui emunt tanquam non possidentes Et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur. preterit enim figura huius mundi. volo uos sine sollicitudine esse Qui sine uxore est quod dñi sunt sollicitus est quo placeat deo Qui autem cum uxore est sollicitus e quae sunt mundi. quo placeat uxori et diuisus est Et mulier innupta et virgo cogitat que sunt dñi: ut sit sancta corpore et spu. In xpo ihu dño nro. Lectio li. Sapie.

Sapiencia laudabit animam suam et inter deos honorabit. et in medio populi sui glabitur Et in ecclesia altissimi aperiet os suum et in conspectu virtutis illius glabitur. In medio populi exaltabit et in plenitudine

sancta admirabit et in multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur dicens Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam Ego feci in celis ut oriretur lumen indeficiens et quasi nubes texi omnem terram habitationem meam. et quasi balsamum non murra odor meus Ego quasi cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi quasi electra splendui et quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Alleluia alleluia ℣ Speciosus forma prae filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis propterea benedixit te deus in eternum ℣ Propter ueritatem et mansuetudinem et iustitiam et deducet te mirabiliter dextera tua Alleluia ℣ Specie tua et pulchritudine tua intende prospere procede et regna ℣ Propter ueritatem et mansuetudinem et iustitiam et deducet te mirabiliter dextera tua Alleluia ℣ Adiuuabit eam deus uultu suo deus in medio eius non commouebitur. Alleluia Sequentia sancti euangelii secundum Lucam Erant appropinquantes ad ihm publicani et peccatores ut audirent illum Et murmurabant pharisei et scribe dicentes quia hic peccatores recipit et manducat cum illis Ad quos parabolam hanc dixit dicens Quis ex uobis homo qui habet centum oues et si perdiderit unam ex illis nonne dimittit nonaginta nouem in deserto et uadit ad illam que perierat donec inueniat eam Et cum inuenerit imponit in humeros suos gaudens Et ueniens domum conuocat amicos et uicinos dicens illis Congratulamini mihi quia inueni ouem meam que perierat Dico uobis quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore penitentiam agente quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent penitentia Aut quae mulier habens decem dragmas si perdiderit unam dragmam nonne accendit lucernam et uerrit domum et quaerit diligenter donec inueniat Et cum inuenerit conuocat amicas et uicinas dicens congratulamini mihi quia inueni dragmam quam perdideram Ita dico uobis gaudium erit coram angelis dei super uno peccatore penitentiam agente Dixit autem et homo quidam habuit duos filios Et dixit adolescentior ex illis patri Pater da mihi portionem substantie que me contingit Et diuisit illis substantiam Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam Et ibi dissipauit substantiam suam uiuendo luxuriose Et postquam omnia consumpsit facta est fames ualida in regione illa et ipse cepit egere Et abiit et adhesit uni ciui regionis illius Et misit illum in uillam suam ut pasceret porcos Et cupiebat implere uentrem suum de siliquis quas porci manducabant et nemo illi dabat Et in se reuersus dixit Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei Pater peccaui in celum et coram te Iam non sum dignus uocari filius tuus fac me sicut unum de mercenariis tuis Et surgens uenit ad patrem suum Cum autem adhuc longe esset uidit illum pater ipsius et misericordia motus est et accurrens cecidit super collum eius et osculatus est eum Dixit autem filius Pater peccaui in celum et coram te Iam non sum dignus uocari filius tuus Dixit autem pater ad seruos suos Cito proferte stolam primam et induite illum et date annulum in manum eius et calciamenta in pedes eius Et adducite uitulum saginatum et occidite et manducemus et epulemur quia hic filius meus mortuus fuerat et reuixit perierat et inuentus est Et coeperunt epulari Erat autem filius eius senior in agro Et cum ueniret et appropinquaret domui audiuit symphoniam et chorum Et uocauit unum de seruis suis et interrogauit quid hec essent Ipse autem dixit illi Frater tuus uenit et occidit pater tuus uitulum saginatum quia salum eum recepit Indignatus autem est et nolebat introire Pater autem illius egressus cepit rogare illum Qui respondens dixit patri Ecce tot annis seruio tibi et nunquam mandatum tuum preterii et nunquam dedisti mihi hedum ut cum amicis meis epularer Sed postquam filius tuus hic qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus uenit occidisti illi uitulum saginatum Ipse autem dixit illi Fili tu semper mecum es et omnia mea tua sunt Epulari autem et gaudere oportebat quia frater tuus mortuus fuerat et reuixit perierat et inuentus est Credo

Offertorium Super flumina babilonis illic sedimus et flauimus dum recordaremur tui sion Secreta Hostias quesumus domine quas in honorem beate marie et omnium sanctorum tibi offerimus placatus assume et intercessionibus eorum quorum memoriam celebramus nos ab omnibus peccatis nostris absolue per dominum Communio Beata uiscera marie uirginis que portauerunt eternum patrem christum dominum Postcommunio Quesumus omnipotens deus ut qui de bonis temporalibus subsidia nobis ministrare dignaris ipse nos facias de eternis gaudiis esse securos per dominum

Feria quinta

Introitus Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes sub honore beate marie uirginis de qua natiuitate gaudent angeli et collaudant filium dei Ps Eructauit cor meum uerbum bonum dico ego opera mea regi Gloria patri Kyrie eleyson Christe eleyson Kyrie eleyson Collecta Deus qui de beate marie uirginis eternitatis diem nobis hodierna luce dedisti concede propitius ut cuius natiuitatem colimus intercessionis eius auxilium sentiamus per dominum

Lectio libri Sapientie

Sapientia edificauit sibi domum et firmauit columnas septem Immolauit uictimas suas miscuit uinum in craterra sua et parauit mensam suam Misit ancillas suas ut uocarent ad arcem et ad menia ciuitatis Qui est insipiens declinet ad me et sapientibus dixit Venite comedite panem meum et bibite uinum quod miscui uobis Relinquite infantiam et uiuite et ambulate per uias prudentie

Graduale Diffusa est gratia in labiis tuis propterea benedixit te deus in eternum ℣ Propter ueritatem et mansuetudinem et iustitiam et deducet te mirabiliter dextera tua Alleluia alleluia ℣ Audi filia et uide et inclina aurem tuam quia concupiuit rex speciem tuam Alleluia ℣ Audi filia et uide et inclina aurem tuam quia concupiuit rex speciem tuam Alleluia ℣ Specie tua et pulchritudine tua intende prospere procede et regna Alleluia ℣ Diffusa est gratia in labiis tuis propterea benedixit te deus in eternum